



# Disputatio juridica inauguralis de privilegiis patris

<https://hdl.handle.net/1874/342430>

10.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
PRIVILEGIIS PATRIS,

QUAM,  
SUMMO DEO ANNUENTE  
*Ex auctoritate Magnifici Universitatis Rectoris*  
JOANNIS GEORGII GRAEVII  
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

*Decreto etiam Amplissimi Senatus Academici ac Celeberrimorum  
Ficiorum placito & consensu*  
Pro summis in UTROQUE JURE honoribus Privilegiisque  
DOCTORALIBUS legitimè obtinendis,  
*Ventilationi publicæ exponit.*

WILHELMUS HUPEDEN, Bremensis.  
A. D. 19. Junii, tempore & loco consuetis.



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ibc xc.

DISPUTATIO JURIDICA  
IN REGIA ACADEMIA

PRIVILEGIIS PATRIS

SUMMO DEO ANNUNTIANTE

Et sub auspicio Illustrissimi Rectoris

JOHANNIS GEORGI GRABII

Philosophiae & Historiae Professoris  
in Ordinariis

in Alma Matre Universitate Lipsiensi

publice defendenda

et in hunc effectum legitime auctoritate

DOCTORALIBUS insignibus ornanda

habenda fore debet

WILHELMUS HUBERUS, Praesens

et in hunc effectum legitime auctoritate



TRAJECTI ad RHENUM

in Officina Typographica Halmi, Achenmair  
Typographus, Anno 1800



## IN NOMINE SALVATORIS

## P R O O E M I U M.

§. I.



On diffiteor Parentum nomine matrem etiam contineri si honorem, obedientiam & pietatem spectes, omnibus namque servanda est fides *l. 6. de Injus Voc.* honestaque & sancta persona eorum esse debet *l. 9. de Obs. P. & P.* & quod Mater hinc non excludenda, probat *l. 4. de Curat Fur. Pietas parentibus, etsi in aequalis est eorum potestas, aequa debetur l. 4. C. de Pat. potest.* illudque non uno ex capite: nam Mater tenerius liberos adamat Patre quia mater scit esse suos pater autumat Grotius *de J. B. et. P. lib. 2. Cap. 7. §. 8.* nec tam facile incerta pro certis possumus amplecti Conf. elegans effatum Lactantii *lib. 3. Cap. 20.* Etsi verò utrique debeatur reverentia, tamen ob sexus præstantiam, præcipuè si inter se contendant imperia maris & foeminae, illud præfertur, Grotius *lib. 2. Cap. 5. §. 1.* Neque enim tantum liberorum sed & uxoris caput Pater est, eaque postponenda ob sexus fragilitatem. Hinc rectè Seneca *lib. 3. Controv. 29.* primas Patri tribuit. Ex jure etiam naturæ differentiam in sexu quantum ad imperium & potestatem esse, vel ex his patet, quia natura masculinum imperio aptiorem fecit, foeminam verò in subsidium vocavit principaliter ad opus generationis. Si etiam Sapientiori & fortiori imperium concedendum certè masculino competit. Non autem loquor hinc de individuo, sed in genere, scio enim quid de hujus vel illius foeminae majore sapientia hinc opponi possit. Concludo hinc, quòd Patri plus tribuendum; & hujus prærogativas hinc solum pertractare postposita matre mihi proposui. Porro parentis nomine omnes ascendentes intelligi notum est: ortum namque nostrum omnibus his debemus, ea propter idem iis debetur honor eadem & pietas: in vernacula quoque nostra lingua Ascendentes vocantur cum addito *Watter / Mutter.* Vid. Polyant Langii Tit. Pater. Ita *Genes. 10. Ver. 12.* Sem dicitur Pater Hebræorum *Cap. 17. Ver. 5.* Abraham Pater gentium *Cap. 31. Ver. 42.* Jacobus eundem Patrem suum vocat *Exodi Cap. 20. Ver. 12. J. Reg. 19. Ver. 4.* & passim in Sacris, Julianus quoque hoc demonstrat

monstrat in l. 201. de V. S. ad quam inspiciendus Wissemb. & in Disp. ad ff. 36. rb. 2.

§. 2. Impropiè etiam & metaphoricè hoc nomine veniunt Autores vel inventores *Genes. 4. Vers. 20. & 21.* Jubal pater musicorum *Job. 8. Ver. 44.* Sathanas pater peccati, ita avaritia malorum dicitur mater *Luca 12. Ver. 15.* Vocantur etiam ab effectu singulari parentes qui singulari amore ac cura aliquem amplectuntur, vel per actum legitimum intervenientem adoptarunt §. 3. & 4. *J. de Adopt.* Josephus Salvatoris dicitur Pater à singulari cura & affectione *Luca 2. Ver. 33. & 48.* Senatores Romani à Cicerone non uno in loco ita vocantur Patres Conscripti Tacitus multis etiam in locis hoc nomen datum eis fuisse, refert 2. *An. 37. lib. 4. Cap. 8. & 34.* Idem *Hist. lib. 2. Cap. 52.* Ovid. 2. *Trist.* Prudent. *contra Symmach lib. 2. Ver. 430.*

Caput Augustum diademate cinxit

Appellans Patrem patriæ, populi atque Senatus

Rectorem &c.

Sueton: in Vita Augusti n. 57. & 58. ubi Augusto Patris patriæ nomen repentino maximoque consensu detulerunt Briffon. 2. *de form. p. 227. & 229.* & Pomp. Festus *de Verb. Sig. p. 153.* Ubi initio urbis qui eligebantur quorum censilio atque prudentia respublica administraretur, ita vocabantur notante Scalig in alleg. Festi lib. p. 127. Vid. Livius lib. 1. *Cap. 8. in fine Tacitus 1. Ann. Cap. 72.* Rosin. *Antiq lib. 7. Cap. 5.* Defensores etiam hoc nomine gaudent, uti defensores Civitatum ita vocantur, in *Rub. & l. un. C. de Ratiocin. Oper. pub. & de Parib. Civit* quorum etiam fit mentio in N. 128. & 160. Etiam illi qui curam armamentorum habent N. 17. pecuniæ publicæ l. 1. *C. de Alcat l. 2. de Solut* Magna etiam mater terra dicitur, quòd omnia alat Stephan. *Dict. Hist. Geog.* Voce Mater Ego hac Inaugurali Disput. Patrem solùm considero abstrahendo à reliquis omnibus qui hoc nomine venire possunt ut agitur in *Tir. C. De Par. qui fil. distrax. & l. f. ejusdem Conf.* Albericus de Rosate in *Dict. lit. P. Voce P. Voce Patris appel.*

§. 3. Postquam vocem consideravi, ne illotis manibus materiæ penetralia ingrediar ulterius pretium operæ est, alterum tit. Disp. nomen paucis delibare & enodare quid sit Privilegium de quo autem vel integri tractatus exstant, uti conscripsit Eneke & Couricke qui late varias hujus vocis significationes pertractarunt ad quos me maxima ex parte hac in re remitto, cum fructuosum non sit sed operosum potius multa hîc colligere. Notari autem meretur quòd vox hæc significet privis id est paucis datum, hoc que

vel



vel in pœnam vel in favorem : priori modo quando exemplariter quis punitur, posteriori modo si ex singulari gratia quid indulgetur. Hujus constat duo esse genera Personale & Reale, illud, ubi sola personæ conditio inspicitur cum persona interit cui adhæret, hoc ad heredes aliosque transit *l. 68. l. 196. de R. J. Junctâ l. 42. de Ad. & per. Tut.* Hæc personalia vel indulgentur pluribus personis simul, vel singulis in individuo, hoc casu prioris jus in posteriorem non transfertur nisi hoc in specie conventum *l. 3. qua res pig. D. Stryk in Caut. Cent. Sect. 2. Cap. 4. §. 40.* In his sola personæ conditio spectatur, uti est singulare veteranorum privilegium *l. 8. §. 2. de Vacat.* Favor imbecillitatis certarum personarum *l. 19. §. 2. de Reb. Aut. jud.* in specie pauperum de quibus multa Dd. ad ferunt privilegia *Mynsing Cent. 4. Obs. 97.* Favor liberalitatis *l. f. C. de Revoc. Donat.* Aliquando tamen si pluribus simul sit concessum personale privilegium ad aliquot heredum transit *Vid. late Gailius L. 2. Obs. 2.* ut est Doctoris quod ad uxorem & liberos transit *l. 6. C. de Prof. & Med.* non tamen jure successionis aut transmissionis sed vivis adhuc parentibus hoc gaudent privilegio, quia iis simul concessum videtur. Realia efficiuntur quando personali favori accedit aliquis respectus causæ; exempla hujus hîc non adducam *vid. l. 29. de Re. jud. & l. 7. §. 1. de Except.* Sed hoc noto quod *Lauterb. ad ff. p. m. 15.* ad personalia referat *Sct. Macedon. & Vellejanum,* quæ magis ad realia pertinent *d. 17.* hincque est quod heredes hæc habeant *vid. l. 20. C. ad Sct. Vel & l. 7. §. 10. ad Sct. Maced.* Porrò quoties datur privilegium propter læsionem, toties, quia ratione causæ datur, est reale, huc pertinet quod heres minoris læsi possit restitutionem in integrum petere *l. 18. §. f. de Minor.*

§. 4. Privilegium à Jcto in *l. 1. §. 43. & 44.* impetrabile jus dicitur, cui addo, ad personam certam vel causam præcisè restrictum autoritate constituentis introductum, hocque vel expressè vel tacitè *l. 35. de Ep. & Cler.* quorum pertinet præscriptio immemorialis quæ vim privilegii habet *Cap. Quibusdam X. de V. S.* vel ad preces aliorum *Enenkel lib. 1. Cap. 5. & 10.* ubi tamen semper tacita conditio subintelligitur si preces veritate nitantur *l. 4. C. si contra jus,* quia intentio concedentis nunquam talis præsumitur, quod velit juri alteri quæsito sua concessione derogare. *Mynsing. Cent. 4. Obs. 8. n. 5.* vel motu proprio, quod validius censetur illo, cum cesset exceptio sub & obreptionis. Et non potest extendi ad casus qui in concedentis potestate non sunt *Gail. lib. 2. Obs. 58.* quia autoritas ejus extravagari nequit nec in injuriam alterius concedi debet, *l. 40. de adm. tut. l. 4. C. de Emancipat* ubi inspicendus *D. Brun. n. 5. & sq.* Notanda hîc regula, quod

omnia privilegia latissime sint explicanda si concedentem spectes *l. 3. de Const. Pr.* quia intuitu ejus sunt mera beneficia *D. Brun. ad d. l. Tertium* verò si consideres strictissime sunt intelligenda *Thomas Carleval Tit. 3. Disp. 28. n. 16.* Nam in præjudicium sui ipsius concedens firmiter agit, non verò in alicujus tertii quem minimè lædere potest, uti jam diximus. Inter beneficium & privilegium differentiam adfert *Enekel lib. 1. Cap. 2. n. 6.* sed ea de re verba facere supersedeo, cum sit extra propositi mei terminos, & cum jam olim paucis hac de controversia dixerit pie defunctus Patruus in *Disp. Inaugur. De judicio Militum privilegiato. Tubingæ habita anno 1677. Cap. 1. th. 3.* Hinc ne actum agam longiusque à scopo aberrem, propositam aliqualem privilegii definitionem, hic facta applicatione ad meum propositum repeto, & dico *Privilegium paternum esse jus, Patri singulari modo, auctoritate ejus qui legitimam summamque potestatem habet, legitima ratione introductum & concessum* aliter paulo *Struv. Ex. 8 th. 36. jus dixi singulare l. 16. de LL. quod semper præsupponit commune contrarium l. 3. C. de LL. l. 37. de jure Fiscil. p. C. de precib. Imp. off. & hinc non incongruè addi posset ex Lauterb. p. m. 15. Contra juris generalis tenorem.* Summa divisionum genera jam verbo attigimus quæ hic relegi possunt ex *Rebhan Hodeg. juris Charta 2. Clim. 1. §. 40.* Jam ergo ad ipsam materiam me bono cum Deo convertam, & ut quantum fieri potest, ordine progrediar quatuor summis capitibus me expediam.

## MEMBRUM PRIMUM

### *De Origine Patria potestatis.*

§. 1. **C**onsideraturus hanc patriam potestatem privilegiorum uberrimum campum invenio, nam indefinita olim fuit, & neque finem neque modum agnovit apud Romanos; extendebatur enim ad omne vitæ tempus, ad summos etiam si filius evedtus fuisset honores; immensa non minus, quia non bona sed vitam ipsam tangebatur *l. 11. de lib. & post.* Quamvis enim jure naturæ omnibus Parentibus privilegia multa & jura sint concessa, *Arist. 3. Ethic. 12. & 1. Polit. 12.* Romanis tamen effrena in liberos potestas relicta *§. 2. f. de Pat. por.*, ita ut hæc potestas aliquam formam peculiarem hoc jure, sed inter ipsos Romanos propriam, receperit *Alb. Gentil.*



*tit. de Nupt. lib. 4. Cap. 1.* Hinc Grotius *de J. Bet. P. lib. 1. Cap. 2. §. 5. n. 5.* Summam potestatem penes Patres ait quod & Bodinus *lib. 1. de Republ.* asserit. Et ad consanguineos vel proximos non nihil potestatis transmissum fuit, cujusmodi quid in Regnis Persiæ observari tradunt Olearius & Tavernier, ut scilicet jus supplicium de delinquente sumendi relinquatur ipsis qui proximè, occisum sanguine attingunt.

§. 2. Causam hujus potestatis varii variè quæsi verunt. Generationem satis causæ esse contendit Grotius *lib. 2. Cap. 5. §. 1.* quem copia commentariorum sequitur, qui uno ore fatentur eam causam esse quare jus in liberos parentibus potius quàm aliis conferatur. Rectè autem Hobbes de Cive repellit hanc sententiam, sed pejorem substituit causam *Cap. 9. §. 2. & sq.* ubi Matri tribuit originale jus in liberos, Patri autem non nisi derivatum adscribit à quo recedit merito D. Ziegler. ad d. l. Grotii. Aliis uti foetus pars viscerum, ita & partus pars matris dicitur, alii aliter ex jure seminis & similia; quæ tanquam minùs convenientia hîc rejicimus, quoniam regula jus fructuum esse ejus cujus res est fallit in homine, qui creatus ut sit Dominus non autem ut sit in dominio. Quæ D. Puffend. *de J. Nat. lib. 6. cap. 2. §. 4.* habet quòd dat generatio occasionem, non verò ea sit sola causa, sed ex præsumtionibus eam deducit, nempe si filii essent naturæ ætatis se spontè præsumi subjecisse, uti videre est *d. l. verb. præsumitur p. 908.*

§. 3. In hac varietate per ea me extricavi quæ Dn. Coccejus in suppositis ad Grotium non minus eleganter quàm solidè ac eruditè, uti omnia, protulit. Jure Nat. quidem homini in hominem non competere potestatem, sed omnes homines esse juribus & potentiis agendi à natura æqualiter præditos, sed hoc tamdiu, quoad aliud appareat à naturâ constitutum. Imprimis verò jus educandi liberos & quæ eò pertinent, manifestum est à Creatore injunctum esse. Voluit enim Creator homines educari qui nati sunt, ne statim iterum perirent & sic per consequens totum genus humanum brevi destruat. Hoc verò jus officiumque educandi recens natos, ipsis Parentibus à Creatore nostro injunctum esse, patet omnino ex illo ad educandum studio, motu ac instinctu vehementissimo, quem unà in generantibus, non modo hominibus sed & animalibus cæteris magna providentiâ condidit *εργον* vocant. Neque verò cùm educationem à certis personis fieri necessum sit, ulla apparet ratio, cur extraneis potius, quam ipsis generantibus hoc munus injunxerit. Idemque ex naturæ intentione generali liquet, quæ hoc egit, in omnium animalium Creatione, ut species propagentur, id est, species gignenti similis producat, similis au-



tem gignenti species hæcenus non est, nisi ad eam saltem ætatem perducta sit, ut & ipsa gignere & speciem propagare possit, quam proinde maturitatem cum proles à parentibus ex generatione non accipiat, opus est eoque eorundem parentum educatione, donec & ipsi gignere & se suamque familiam exhibere possunt. Hocque Educationis jus facit reverà Patriam potestatem, quam ita si consideres juris est Naturæ.

§. 4. Est tamen & patria potestas Juris Civilis D. Brun *ad l. 3. de his qui sunt sui* & Hahn *ad Wesf. d. t. n. 2. Verb. Propria Civium Roman.*, idque duplici censu (1.) Ratione effectuum & jurium quæ beneficio Juris Civilis patri data & concessa sunt, de quibus deinceps (2.) Ratione causæ quia Patria potestas modis quibusdam civilibus præter naturam quoque constituitur, scilicet Legitimatione & adoptione, que postea tota est Juris Civilis sed hos modos hic pertractare nec instituti nostri est, nec disputationis compendium admittit, sed origine patriæ potestatis præmissa ad ejus privilegia rectâ progredior.

## MEMBRUM SECUNDUM.

### *De privilegiis Constituenda Patriæ potestatis.*

§. 1. Sunt autem illa privilegia vel Constituendæ vel constitutæ patriæ potestatis Constituendæ ejus jura ac privilegia sunt vel in Nuptiis vel in Legitimatione vel in Adoptione. Videamus de nuptiarum privilegiis, quo ad Patriam potestatem, quale imprimis est, quod Pater non opus habeat alia probatione, quàm filium ex legitima uxore cum qua tum cohabitavit natum esse, ex eo enim lex validè præsumit, eum quoque ex marito illo natum esse *l. 6. de his qui sunt sui* Gailius 2. *obs. 97.* Struvius *Ex 3. ib. 43.* ibique Dd. alleg. quod adeo verum est, ut nec matris confessio hunc filium ex marito natum non esse eam juris præsumtionem tollat *l. 29. §. 1. de Probat.* ibique Gothof. *lit. b.* nam dicta præsumtio non tantum partui favorabilior est, verum etiam vincit eam quæ ex hac adsertione oritur, nam ex alia planè causa vel odio provenire potest, imo propriam allegat turpitudinem *Cap. inter dilectos X. de Donat.* Neque movent textus in *l. 16. de Probat. & l. 2. §. 1. de Excus. Tur.*, utpote quæ de alia longè probatione loquuntur scilicet ætatis & similibus Conf. Decius *Conf.*



*Conf. 657. Tholosan. lib. 84. cap. 10. n. 8. & Alexand. Vol. 7. Consl. 88. n. 6.* Sed hoc non adeo verum putarem, ut si constet uxorem cum adultero rem habuisse nihilominus habendum, acsi ex marito esset partus, quod tradit Menochius 6. *presumt.* 3. à quo hîc meritò discedimus: nam non potest sine maximo præjudicio mariti, totiusque familiæ propter metum partus supposititii, præsumi ex marito potius quàm adultero natus; neque pia illa ac honesta præsumtio cadere in sceminam potest, quæ actu fidem matrimonii violavit, & præsumtionem honestatis contraria facti evidentia extinxit. Atque ita præcisè id decisum est in *Capit. Causam X Qui filii sunt legitimi.* Neque favor conjugii quicquam facere potest in conjugio per adulterium fædè violato & jam extincto, imprimis cum longè justior sit favor innocentis mariti totiusque familiæ, ne, ei supposititius partus obtrudatur, eoque tot jura ipsis in infinitum præripiantur; Denique ex æquitatis & juris rationibus dubia juris, non ex favore extra terminos legibus constitutos decidenda sunt.

§. 2. Aliud privilegium constituendæ patriæ potestatis est, quodd Pater eam acquirere sibi possit in liberos in quos potestatem non habet, scilicet in naturales, idque imprimis ducta in uxorem concubina *l. 5. C. de Nat. Lib. N. 89. Cap. 8. Gail. 2. obs. 141.* quomodo omne vitium tollitur in tantum ut juxta Dd. non fictè sed vere pro legitimis haberi debeant Forst. *de Suc. ab Intest. lib. 6. cap. 20. n. 1. & 2.* quoniam vel accuratissimè extinguitur præcedens vitium D. Becman *Med. Polit. cap. 8. §. 14.* Et ita legitimi habentur acsi verè essent legitimè nati; ut etiam statuta de liberis legitimis disponentia legitimatos comprehendant Boër. *Decis. 159. incipit. Et videtur dicendum n. 5.* Dari eis jus protimeseos adfert Berlich. *Lib. 2. Concl. 39. n. 18.* Etiam in feudis succedunt tam de jure quam de moribus Struvius *Synt. f. Feud. cap. 9. th. 3. n. 12.* Dissentiente licet Bockelm. in *Comm. ad ff. Tit. de his qui sunt sui §. 13.* Unde dubio procul jus primogenituræ consequitur filius ille naturalis, qui & natura prior genitus & legitimus, interimque in suspenso est jus eorum qui ex mediis nuptiis nati sunt. nec ante jus primogenituræ ipsis quæsitum videbitur, quam certum fuerit cum concubina nuptias non amplius fore. Hoc ita privilegiatum est ut Pater, licet concubinam in articulo mortis ducat, liberos faciat legitimos, & suæ potestati subjiciat Perez *ad C. de Nat. lib. n. 14.* quoniam non est impossibile ut morti vicinus reconvalescat, hinc matrimonium rectè à tali infirmo contrahitur, modo adhuc sanæ sit mentis. Neque jam vereor decisionem *l. 20. de jure Dot.* utpote quæ agit de articulo quo quis moritur, seu de ipso mortis momento.



§. 3. De aliis modis legitimandi hic super essent quæ tractarem, sed ut brevis sim in hac re notissima; unicum hoc addo quod Pater per supplicationem à Principe impetrare possit ut filii naturales subjiciantur ejus potestati & legitimentur, posset quidem Princeps non requisito patre rescriptum legitimationis dare liberis illegitimè natis, sed hoc regulariter facere velle non præsumitur, quod non ineleganter exprimit Mynsing. 1. *obs.* 35. Neque moribus hodiernis observari videmus, ut Princeps sine precibus & voluntate Patris legitimet Conf. Perez ad *Tit. C. de Nat. lib.* n. 19. & 21. Quo jure hodiè Princeps jus hoc legitimandi habeat Vid. DD. juris publ. Sprenger. p. 75. & 218. D. Rhetius *lib.* 2. *Tit.* 9. §. 11. & alii. Bockelman. *ad ff. de his qui sunt sui* §. 14. Idem est si ipsi liberi hoc impetraverint à Principe, modo testamento pater liberos naturales legitimos & suos heredes voluerit & declaraverit, Princeps etiam annuat votoque Patris subscribat *N.* 89. *cap.* 10. *N.* 74. *cap.* 2. §. 1. quo casu etiam post mortem patris legitimari possunt hoc effectu, ut excludantur agnati à successione, cum aliàs successioni paternæ capaces non fuissent. D. Struvius *Ex.* 3. *ib.* 55. Per nominationem etiam fieri legitimos tradunt DD. communiter Bockelm. *d. l.* §. 18. quod ita præcisè observatur ut, si Pater unum solum nominaverit legitimum, reliqui ex concubina pro talibus etiam habeantur Rebhan. *Hodeg. juris Charta* 2. *Clim.* 1. §. 40. ubi in fine addit accuratè, quod hæc nominatio non faciat ut sint aut fiant legitimi, sed per eam declarentur quod sint legitimi qui tales non apparebant, hinc alchimix, quæ facit apparere quod non est, comparatur. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 31. f.

§. 4. Privilegium quoque in constituenda hac potestate insigne est, quod Pater eam in extraneos quoque qui nullo modo liberi ipsius sunt, acquirere possit, per Adoptionem, quæ est quasi civilis generatio, & naturali comparatur quoad effectus: quomodo definiatur & dividatur apud omnes DD. legere est. Sed non omnis adoptio patria privilegia adfert Vid. §. 1. *f. de adopt. juncto* §. 10. & *ult. eod.* Conf. Bockelman. *ad ff. d. t.* §. 5. & DD. passim ad quos me brevitatis studio remitto. Aliquando Patris naturalis jura manent integra; Lauterb. p. m. 28. & dicitur quidem adoptatus ab extraneo filius adoptantis, sed non filius familias hinc Vultejus *ad §. sed hodiè f. de Adopt. n.* 4. Arrogo qui suus est, sed habet meus esse necesse, Patris adopto suum, sed Patris permanet idem. In arrogatione privilegium singulare & notum est, quod Pater arrogatus liberos habens eos simul trahat in arrogatoris familiam & potestatem Vultejus



tejus *d. l. n. 2.* quod adoptione tribui nequit *l. 40. de Adopt. Perez. in C. cod. iii. n. 8.* Denique qui postliminio redeunt & qui adhuc in utero sunt transferuntur simul in potestatem arrogatoris *D. Brun. ad l. 15. d. 1.*

## MEMBRUM TERTIUM,

### *De Privilegiis Constituta Patrie potestatis quoad Personas.*

§. 1. Privilegium certè summum est quòd jure Romano patri etià potestas in vitam filii sit data de quo paucis Memb. 1. habuimus *Conf. Vinnius ad §. 2. f. de Pat. potest.*, sed simile jus à Ludovico Imperatore Norimbergensibus concessum anno 1320. quòd Parentibus suos filios inobedientes licitum sit carceribus & turribus coërcere non solum, sed & vivos in profluentem demergere *Lynn. Enucleat. lib. 4. cap. 39. §. 7.* Sed tyrannico & terribili, uti Aristot. videtur *8. Nic. 12.* hoc privilegio an adhuc utantur subdubito. Meritò etià juris Romani mores mitigavit posteritas hac in parte, & ad facilitatem magis & mansuetudinem revocavit; utpote quòd nimis à pietate, in qua patria potestas consistere debet, *l. 5. ad leg. Pomp. de Parricid.*, atrocitas hæc recedat. Et ita *D. Beeman. Polit. Paral. cap. 8. §. 5.* cum Reipublicæ etià non solis parentibus nascantur liberi, ea propter nec his sola potestas è medio eos tollendi concedenda.

§. 2. Non verò in totum hodie privilegium castigandi filios parenti ademptum est, sed conceditur illi adhuc incarcerationio inobedientis filii. *l. un. C. de priv. Car.* qui modus coërcitionis reputatur domesticus quasi, quo filius intra familiam emendatur, non autem custodiae vel jurisdictionis gratia hoc exercetur *Perez. in C. d. 1. n. 2. & 3.* Nam animo corrigendi videtur facta castigatio paterna *Menoch. lib. 5. praesumpt. 14. n. 1.* ibique allegati, & in eo differre officium paternum à judicis puto quòd hic pœnam infligere & sic jus auferre possit, quod Pater non potest; sed modicè corrigit mores filiorum ita ne quid eis inferatur quod castigationis diuturnæ relinquat vestigia, nulla enim esset educatio sine coërcitione. Ulterius potest Pater immergerum suum filium judici puniendum offerre, eique genus pœnæ præscribere, ex quo postea judex ferre tenetur sententiam



*l. 3. C. de Pat. pot.* Hahn. ad *Wes. Tit. de his qui sunt sui ad verba Crude- liter*, quia nemo moderatius patre advertere præsumitur *Donel. lib. 2. cap. 25.* *D. Brun. ad d. l. 3. n. 8. & 9.* Imò prævidebant legum condito- res, & credebant parentes integros fore iudices quod egregia expressione monet *Grotius lib. 2. cap. 3. §. 28.* Manifestè ergo damnantur illi & jure merito qui jus paternum in atrocitate nedum in potestate occidendi filios consistere putant; quod hodiè non aliter admittimus nisi vi jurisdictionis pater filium vivis eximat, quo ipso non ut pater, sed ut iudex consideratur.

§. 3. Tres tutelas excusare à quarta suscipienda noti juris est, sed Pa- tri salva est excusatio, si unam solum habeat & filius duas *l. 4. & 5. de Excusat.* Patrem etiam in litem filius vocare nequit *l. 4. de jud. l. 11. eod. l. 7. de O. & Act.* Ratio hujus redditur in *l. 16. de Furt. Conf. l. 20. in fine C. qui accus. l. 1. ad Leg. Jul. de ann.* quod ad adoptivum etiam extendi- tur *l. Adoptivus 8. de in jus Voc.* Imo nec extraneo filius familias litem movere potest sine speciali patris consensu *l. f. C. de Bon. qua lib.* nam legi- timam sine eo personam standi in iudicio, non habet *Gothof. ad d. l. lit p. ibique alleg.* Quod eo etiam usque extendi potest ut filio injuria licet in- feratur, ille hac propter agere non possit si pater agat. *Vid. l. 8. in pr. ff. de procurat. l. 17. §. 11. §. 18. & seqq. de injur.* Et si filius eam remittere velit, vindicare pater potest. *l. 30. pr. ff. de Pat.* & contra si hic agere propterea velit, ille remittere ultrò eam potest. *d. l. 17. §. 12. & seqq.* *Guido Papæ Decis. Gratianop. 555.* *Capel. Tolos. Decis. 241.* *Nicol. Boërius Decis. 120. n. 2. & 3. pag. 259.* quod latè etiam pertractat *Prosp. Farin. de Accusat. lib. 1. Tit. 2. quest. 14. pag. 210.* ubi veterum *Dd.* magnum numerum allegat. Limitatio autem hîc addenda nisi Pater sit abjectissimæ conditionis *d. l. 17. §. 13.* de quo vid. *Udal. Zasius in substit. Tractatu p. 227. lit. C.* Excipe etiam si filius publica intentare velit, tunc agere sine Patre potest, *l. 5. §. 5. de his qui ut indig.* ibique *Gothof. lit. e.* uti in causis criminalibus & spiritualibus *l. 6. §. 2. de Cad.* Item causa co- gnita pater ad suum consensum interponendum cogi potest. Imò fallit in reconventionem.

§. 4. Patri quoque hac in parte privilegium competit, quòd liberos suos vindicare possit *l. 1. §. 2. de R. V.* eosque postulare exhiberi *l. 1. de lib. exhib.* propriaque auctoritate debitam sibi reverentiam exequi *Bockel. Ex de Action. cap. 2. §. 9.* Singularius etiam est quòd Patris non impedia- tur suffragium, sed quod valeat & profit filio ad honoris officium adspi- ranti *l. 5. quod cujusque Univers.* Rationes habet *D. Brun. ad l. 4. d. t. n. 3. conf.*



*conf. l. 14. p. ad Sct. Treb. l. 77. de jud.* In ætatis probatione Patris adsertio attenditur vid. *l. 3. §. 5. de Carb. Edicto l. 3. C. si min. se maj. dixerit.* Et hoc in patre singulare est quod contra filios adferre testimonium possit in casu veneficii Berl. *Parte 4. con. 4. n. 95.* ubi ad Bodinum sese refert qui exempla habet, quod ex tali testimonio ignis pœna sit dictata, sed hoc non ita facillè admittendum cum multis probat Carpz. *Tit. 12. art. 4. §. 1. & seqq.* ubi & alios allegat qui defendunt testimonium inter patrem & filium esse illicitum *l. 6. C. de Testib.* Sed nec tam firmum & hoc est, ut non admittat exceptiones, quas pro parte jam adduximus, reliquæ suppleri possunt ex DD. à Carpz. *allegatis d. l.* & sic contra filios aliquando testimonium patris admittitur, si veritas aliter haberi nequeat, Gomez. *var. Resol. 3. cap. 12. n. 24.*, & hoc præcipuè in probatione alicujus delicti Farinac. *de Testib. quest. 54. n. 171.*, hucque jam refero quod allegat Berlichius, si opus sit ob bonum publicum cujus inter est delicta, & præcipuè talia non manere impunita. *l. 51. §. 2. ibi multa pro utilitate communi recepta esse ff. ad Leg. Aquil.* nam utilitas ipsa habetur justè prope Mater & æqui. Quando judex esse possit pater in causa filii compendiosè tradit Coras. *in Tit. de jurisd. n. 7. p. 552.* Afferuntur insuper casus quibus pater filium occidere hodieque potest, vel sine omni vel levi pœna, quos enarrat Berlichius *Par. 4. Concl. 6. n. 82. seqq.* unum recensebo, si filius delicta perpetravit, & metus est, ne à Magistratu capiatur, & sic infami mortis genere plectatur, putant Patrem ad hanc infamiam evitandam, domestico potius exemplo, eum vel veneno necare, vel alio modo mactare posse, & hoc impunè quantum ad pœnam ordinariam, sed relegationis pœnam in certo casu dictatam refert Wesemb. *Parat. ad leg. Pomp. de parricid. n. 6.* Sed hoc negant si filius jam à Magistratu incarceratus sit, delictique convictus ea propter brevi supplicio afficiendus tum patrem, eum in carcere si occidat, non gaudere hoc privilegio, sed pœnam ordinariam locum habere probat Berlich. *d. l. n. 9.*, ibique magno numero allegati. Alii & hoc casu mitius cum patre agunt, & relegationem solum locum habere putant.

§. 5. Liberi in sacris patris constituti ad eam si perveniant ætatem, ut matrimonio se jungere velint tunc Pater nomine eorum sponsalia contrahit post infantiam etiam ubi consensum filiorum pater supplet, uti ex natura sponsaliorum hoc explicat Gellius *Noct. Attic. lib. 4. cap. 4.* sed puberes facti præcise stare non tenentur huic desponsationi patris *l. 14. de Spons.* Si autem ad alia inclinent, patris consensus iterum & voluntas re-



quiritur *l. 11. & seqq. b. r.* vel ad minimum ratihabitio. Quod secus in Nuptiis ubi pro regula juris Civilis haberi debet, quod pater suo consensu & dissensu vel firmare vel infirmare nuptias possit, hicque si non adhibeatur erit & matrimonium illegitimum & hinc nati liberi *l. 9. l. 22. de R. N. l. un §. 1. C. de Rapt. Virg. l. Paulus 12. de S. H.* eo etiam usque ut non teneatur Pater sui dissensus rationem reddere modo non per injuriam dissentiat *l. 19 de R. N. Wesemb. Parat. d. t. n. 3.* Hinc rejiciendum Costani dictum *1. quest. jur. 12.* qui contendit Parentum consensum non esse necessarium vid. Alb. Gentil. *de Nupt. lib. 4. cap. 3.* quod etiam refutat Borchold de Gradibus quam in rem apte Pamphilus apud Terentium in *Andria act. 5. sc. 3.*

*Ego me amare hanc fateor, si id peccatum est, fateor id quoque*

*Tibi Pater me dedo, quid vis oneris impone, impera,*

*Vis me uxorem ducere? Hanc vis amittere, ut potero, feram.*

Et de jure Civili ex singularissima hac ratione ita cautum, ne patre incscio vel invito filii agnascantur sui heredes & per injuriam uxor inducatur. Quod & singulare est ita ut præcisè antecedere hic patris consensus debeat, nam ratihabitio hinc non, uti in sponsalibus, sufficit *l. 68. de j. Dot.* quia non tollit ea vitium jam contractum quod insanabile putatur; sic ex Neg. Gest. non fit mandatum per ratihibitionem, & ea non comparatur consensui, ubi voluntas expressa adesse debet *l. 7. de Spons. l. 12. C. de Nupt. Franz. ex 2. quest. 5.*

§. 6. Non verò permittit legum disciplina filium invitum ad uxorem ducendam cogi *l. 12. l. 14. C. de Nupt.* tantum enim patriæ potestatis privilegium non esse debet, cum dicente Socrate multa mala comitentur invitas nuptias, quam in rem eleganter Pamphil. apud Terent. in *And. act. 1. sc. 5.* & meritò injuriam Patris conqueritur qui tali modo imperabat.

*— Uxor tibi ducenda est Pamphile hodiè inquit para,*

*Abi domum &c.*

Neque officii vel privilegii paterni est, semel consummata & bene concordantia matrimonia dirumpere uti innuit *l. 1. §. f. de lib. Exb.* nam in eo dissolvendo acerbè pater suum privilegium exerceret, quod ne fiat meritò hæc lex suadet, multa namque impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dissolvunt contractum. Hac propter Conc. Trid. *cap. 1. Sess. 24.* anathemate damnat qui contracta ritè matrimonia ob dissensum patris irrita pronunciant, quod etiam proposuit Carolus Quintus Imp. in  
Decla-



Declamazione facta in Comitibus Aug. anno 1548. Tit. von Sacrament der ehe §. darumb die weil die Vatterliche gewalt / quod & praxi hodie confirmatum ut frustra contrarium proferatur vid. Struv. ex 29. th. 23. ibique allegati textus, ex quibus apparet, matrimonia consummata, debere manere firma, & hoc ex summa æquitate, ne stuprum maneat, cùm factum infectum fieri nequeat arg. l. 1. §. f. de lib. exhib. & pater non exereret officium, quod in pietate consistere debet non in atrocitate tali, quorsum & collimant verba d. Const. quæ refert. Ungep. in Com. super Decretal. lib. 4. tit. 1. n. 22. Verb. Hiemit Wollen Wir aber den Gehorsam der Kinder nichts abziehen den dieselbe ihren Eltern schuldig sint / sondern Wollen nicht (notanter additur) das die Eltern in thzennung der Ehe ihre gewald misbzauchen. Rittershus. Diff. j. Civil. & Can. lib. 1. cap. 4. ubi multa ex ejusmodi diremptione incommoda profert, hancque sententiam defendit vid. Beult. de matrimon. cap. 47. verb. Si autem res non esset integra Carpz. jurispr. Consist. tit. 3. Def. 60. n. 6. Contrarium autem statuunt, privilegiumque paternum eousque etiam extendunt Donel. lib. 13. cap. 20. Alb. Gent. lib. 4. cap. 7. Cothman. Vol. 1. Resp. 1. n. 198. & 298. seqq. Mevius ad jus Lubec. p. 1. tit. 4. art. 2. n. 16. Bach. ad Wesemb. de R. Nupt. Verb. Sed ad jus nostrum.

§. 7. De jure Naturæ hic cum Grotio putarem, hunc consensum non necessario adhiberi, nam qui Nuptias contrahit hoc jure non est amplius in potestate patris neque sub educationis jure continetur potestas prohibitiva nuptiarum. Matris etiam requireretur consensus ex hoc jure si esset. Denique emancipati requirere deberent, quia emancipatio jus naturæ adimere nequit. Hic enim singularis effectus est juris Civilis, alias facilè concedo Patriam potestatem esse ex jure Naturæ uti supra jam habuimus. Sed de jure Canonico quid statuendum dubitatur, cùm hujus juris DD. ipsi in diversa eant, & alii aliter ad dissentientes inter se textus conciliandos distinguunt. Tres opiniones proponit Ungep. ad Decretal. lib. 4. tit. 1. n. 19. De honestate concedunt hinc Cavar. Tom. 1. de Matr. cap. 3. §. 8. Bonum, inquit, est, si petant consensum Parentis, si autem negligent filii nihilominus subsistit. Vid. Perez. ad C. de Nupt. n. 16. At Rittershus. de Diff. juris Civilis & Canon. lib. 1. cap. 3. Verb. Sed ut ad jus Canon., ait, quod qui statuunt de honestate hoc esse, illi etiam in nuptiis concedant necessitatem arg. l. 42. de R. N. & l. 197. de R. J. Probant etiam hanc necessitatem textus in C. Aliter 30. quest. 5. C. Nostrates 3. C. 30. quest. 5. C. Honorantur 13. C. 32. quest. 2. & alii ubi habetur hæc necessitas & in d. C. Aliter in super



super additur quòd clandestina potius sint Conjugia quàm legitima si hic patris consensus non adhibeatur. Objici quædam possunt quæ spaci causa hîc non deducam, sed me remitto ad Hunn. *Var. Resolut. jur. lib. 1. tit. 3. quæst. 18.* Oldendorp. *Clas. 4. art. 26.* Menoch. *lib. 2. casu 353.* Alexand. *Consil. 97. lib. 1.* qui hanc sententiam ita veram profitentur, ut nec statuta in contrarium valeant, quod tamen in medio relinquo Conf. Gellius *Noct. Attic. lib. 2. cap. 7.* Quænam autem causæ sufficiant ut Pater validè dissentire possit, hîc expedire angustia temporis & spaci non sinunt. Solam paupertatem non sufficere patet ex *l. 5. pro socio,* Conf. Carpz. *2. Def. 55.* non formam non pulchritudinem qua de re D. Beckman. *Doctrina Morali cap. 7. §. 2. in fine.* Absens autem si sit Pater ut sciri non possit ubi vivat per naturam non potest ejus consensus peti *l. 10. & 11. de R. N. l. 20. C. de Nupt.* Vel si captivus sit *l. 9. §. 1. de R. N. l. 12. §. 1. de capt. & post.* Vel furiosus *l. 15. C. de Nupt. pr. ff. d. t. verb. Et sine interventu* Conf. Rebban. *Hodegeta juris Charia 2. Clim. 9. §. 8.* Potest etiã evenire ut pater suo jure uti non desideret. *l. filius 25. de R. N.*

## MEMBRUM QUARTUM

### *De Privilegiis constituta patria potestatis circa res.*

Quid rerum appellatione in jure veniat, quot rerum genera vel divisiones occurrant, quibus modis dicantur acquiri, ante pedes posita sunt & cuivis juris principia gustanti obvia fati ac nota; hinc illis non immorabor, sed quæ Patri privilegii jure exinde competant, qua possum brevitate expediam,

§. 1. Olim multo magis interfuit, si quis patriam affecutus fuisset potestatem quàm hodiè, exinde namque multò plura acquirebat pater per filium, imò omnia, ita ut regula sit in *l. Placet. 79. de A. H.* Quicquid filius acquirit Patri acquirit, quæ tamen hodiè tam multas admittit exceptiones, ut si peculia spectes, paucula superesse videbis ex hujus regulæ generalitate; ita ut rectè Groenw. dicat hodiè aliter longè ac olim paternum hoc privilegium obtinere, quanquam sæpius multa abrogata putantur, quæ revera non sunt, an ex facilitate aliqua, an ex ignorantia verorum



verorum juris principiorum in medio relinquo. Hoc autem fatendum per peculiorum introductionem valdè imminutum jus patris, non autem sublatum esse. Quæ verò sint jura ejus vetera, quibus hodie limitibus circumscripta & species peculiorum nunc exponere & prolixum nimis est, nec hujus instituti. Ex peculio verò profectitio patri acquiri satis notum est, cum ipsum peculium quoque maneat Patris §. 1. *f. per quas personas l. 6. C. de Bon que lib.* Contradictorium quidem videtur, quòd Pater dans peculium illud retineat *l. 4. & 5. de peculio.* Verùm non dominium hìc, sed transfertur administratio, maximumque huic difficultati lumen præfert, si notemus, quòd semper pater hoc peculium possideat. Unde in concursu Creditorum non leve id est patri privilegium, quòd, si ei quoque debitum sit, is præferatur reliquis omnibus elegantissima ex ratione, quia, uti diximus, semper possidet, & per consequens semper ei solutum videtur *l. 9. §. 2. Verb. prævenisse de Peculio.* Unde duo sequuntur singularia & quasi privilegia, quòd Patris debitum prius debeat deduci, & tunc peculium computari; alterum, quòd Pater postea creditoribus satisfacere non ultra vires peculii teneatur *l. 3. §. p. d. t.* Et hoc est quod DD. dicunt peculiotenus eum teneri, nam imputet quisque sibi qui ultra quàm in peculio est, filio credidit vel cum eo negotiatus est. Add. Struv. *Ex. xx. th. 60. & 63. Bockelm. ad ff. de Pecul. n. 5.*

§. 2. Non ergo regulariter totum æs alienum filii Pater solvere tenetur *l. 47. §. 2. d. t.* sed uti dixi, quantum in peculio est §. 4. *quod cum eo & §. 38. de Act.* Sed ut hoc sciatur meritò quærunt, quod nam tempus hìc computandum? Et dico quòd vires peculii inspiciendæ sint, non ex tempore contractus, sed condemnationis *l. 1. §. 15. quibus ex caus. in poss. l. 30. p. & l. 32. pr. & §. 1. de peculio,* quod autem limitationem recipit ex *l. si filius vel servus 57. eod.* nempe si ante finitum judicium decesserit, tum spectatur tempus mortis, conf. etiam casum *l. 50. §. 1. d. t.* qui specialis est; si scilicet Pater heres sit institutus, qui peculiotenus tenebatur creditoribus, tunc etiam mortis tempus consideratur, quia falcidix tempus non aliter inspicitur. Hoc patriæ potestatis privilegium in tributoria actione cessare necessum est, in qua non potestatis privilegium, sed doli beneficium esset, si patri, qui filium corrasis mercibus alienis negotiantem videt ac patitur, inde quod sibi debetur, detrahere permissum, atque ita non ex re filii, sed alieni domini spoliis ditari permissum esset. In ea igitur actione neque Patris conditio præ cæteris Creditoribus melior est *l. 6. l. f. de trib. act.* neque merex ut peculium crescit & decrescit *l. 40. pr. de pecul. l. 5. §. f. de trib. act.* sed pater hìc concurrat cum aliis creditoribus ita ut si



non legitimè & æqualiter distribuatur Creditoribus, tribut act. atque de dolo teneatur *d. l. 5. §. f. l. 6. & 7. princ. de trib. act.* Sed nec è contrario pater tenetur ex delicto filii, nisi quid ex eo ad ipsum pervenerit *vid. l. 3. §. p. de peculio l. 11. de Cond. fur.* Uti jam ex patris voluntate dependebat dare vel concedere hoc peculium, & ei integrum manet filio hoc adimere *l. 4. §. f. de doli. mal. & met.* Non autem hic sufficit sola revocatio patris, nam utut revocaverit, tamen tenetur de peculio *l. 29. §. 1. de peculio* quia quod non conceditur nudo consensu nec nudo dissensu tollitur, sed uti factum aliquod scil. traditio ad constitutionem ita & contrarium factum ad adimendum hoc peculium requiritur *l. 45. eod.* Sed qua ratione hoc in fraudem creditorum nequeat adimere notavit accuratè Lauterbach *p. m. 416.* ibique leges alleg. & Schneid. *ad §. 10. f. de Act. n. 34.* Mortuo autem patre in hereditate ejus manet hoc peculium & in eam censetur per vulgata, adedò ad bona ejus pertinet; licet si pater filium emancipet & non adimat, donasse videatur, *l. 31. §. 2. de donat.* Quid juris singularis hodiè patri sit in peculii adventitiis filii familias liquet ex *§. 1. f. per quas pers. & l. 6. C. de Bon. qua lib.* Licet verò ususfructus personæ filii cohæreat, tamen acquiritur patri & in ejus persona perdurat filio quoque mortuo *l. f. C. de usufr.* Milis de Verrona *Repert. juris Voce Pater* etsi filio emancipato in hujus non patris persona subsistit *Carpz. jurisprnd. P. 2. Const. 10. Def. 5.* Casus autem quibus patri hoc jus non competit recenset Lauterbach de usufructu ubi compendio exprimit multa latius Struv. *Ex 12. th. 5. Bockelman. de usufr. §. 3.* Castrensis peculia quemadmodum olim patriæ potestatis juribus cum cæteris bonis annexa, deinde verò inde exempta, & cum eadem, tum quasi castrensis in libertatem asserta fuerint *vid. apud Vinn pr. §. per quas pers.*

§. 3. Sed & extra peculiarem casum multa atque insignia sunt patriæ potestatis privilegia, jura ac commoda; adeo ut hætenus filius eadem cum patre persona videatur: de cujus unionis viribus pauca attingenda sunt, quasi per indicem. Si pater cum filio paciscatur, & hic illi promittat, vel ille huic nil agitur, quia secum pacisci videtur *§. 6. §. de Inut. stipul. l. 7. de O & A.* Exceptio est in iis in quibus filius pro patre familias habetur nec patri acquirit *vid. l. 15. de Cast. pecul.* At cum tertio pater pacisci stipularique filio suo potest *l. 2. C. de Cont stipul. l. 39. de V. O. & filius patri l. 38. §. 17. eod.* adeo eadem utriusque vox esse videtur *§. 4. f. de inut. stip.* eademque persona *l. f. C. de imp. subst.,* sed & huic tamen juri eximuntur bona illa, quæ acquisitioni obnoxia non sunt *d. §. 4. in fine d. l. 39.* Id verò nec natura patitur, ut facta transferantur ab unius per-

sona



sona in alteram, unde eo momento alter alteri nec stipulari potest *l. 130. de V. O. add. D. Strijk de Success. ab int. dis. 9. Cap. 7. §. 23.* Sic ex speciali privilegio pater filio acquirit hereditatem, quam is deficiente fortè consensus facultate adire nequibat *l. f. §. 3. de Bon qua lib;* sed & ipse aliquando pater sibi acquirit totam hereditatem *Struvius Ex. 34. th. 27.* & hoc ut ultima voluntas habeat effectum, & ne nociva sit patri temeraria filii renunciatio; quod tam verum est, ut licet Pater hoc neglexerit, & filius interim mortuus sit, nihilominus eam hereditatem capiat ac si filio jam quæsitæ esset *l. si infanti 18. C. de jure delib.*

§. 4. Cùm verò alia pacta sint personalia in quibus persona debitoris vel creditoris adjunctæ sint taxationis, uti loquuntur, gratia; vel realia quæ de debito non petendo concipiuntur, persona verò vel non, vel demonstrationis causa tantùm adjicitur, non prætermittam valdè spectantem huc juris patrii observationem, quòd filius non tantum pacisci possit ne à patre petatur *l. 17. §. fin. l. 19. de Pact.* sed & nihil in pacto hoc intersit, an fiat de debito quod pater, an quod filius contraxit *l. 18. eod.* Utrobique enim prodest non patri duntaxat, sed & patris heredi, quoad filius vivit *l. 21. in pr. eod.* At è contrario pater filio familias ita pacisci non potest ne à filio petatur; sive cum filio sive cum patre contractum fuerit *d. l. 21. §. 2.* quo casu tamen cessante exceptione pacti, exceptio doli datur *d. l. 21. §. 2.* Exceptio verò statuenda est, si filio ut heredi pater paciscitur *l. Avus 33. d. r. inter quam & l. 17. §. 4. eod.* à non uno Doctorum gravis conceditur pugna, sicuti etiam opponitur *l. 56. §. 1. de V. O. quæ solvemus in conflictu.*

§. 5. Præclara verò & planè singularis illa sollicitudo fuit Senatus Romani, qua patres complexus est salutique eorum prospexit, dum in eorum favorem constituit, proposito SCto Macedon, ne creditam pecuniam, quam mutuam filiusfam. accepit vel ab ipso unquam vel à patre petere possit *l. 1. pr. & t. r. de SCto Maced.* Unde licet filius solverit creditori suo pecuniam sibi donatam, pater eam vindicare, & si consumpta est, ex omni eventu condicere potest Joan Michaël Beutel. *ad jure pralat. p. 1. cap. 68. Borch. de Reb. credit. cap. 3. n. 63. & seqq.* neque ei in hoc casu ulla exceptio opponi potest, quod notat Berlich. *p. 1. concl. 64. n. 22.* & id ipsum expressis verbis traditur in *l. 9. §. 1. de SCt. Mac.* ubi idem Jctus patri Rei vindicationem concedit, & in casu ubi filius donatos nummos creditori solvit ex omni eventu conditionem competere asserit, quod Cujacius *14. obs. 35.* ita intelligit, si patri deneganda esset Rei-vind. posito scilicet, ad extremum omnimodo conditionem ei competere vult



Conf. Hart. Pist. p. 3. *quest. 20. n. 12.* & Donel. *lib. 12. Com. cap. 28.* Cæterum cum *d. l. committitur l. 14. de Reb. Cred.* ubi dissensum Jctorum agnoscit D. Struvius *Ex. 20. th. 56.* Willemb. p. 1. *Disp. 24. th. 9.*, eoque tollendo tam parum sufficiunt ea, quæ Cujacius *d. l. adfert*, ut satius sit relinquere. Soluta est ea difficultas à Dn. Coccejo accuratissimè solito more & acutissimè, quod ne nimium excrescant paginæ, in ipso discursu publico videbimus.

§. 6. Non tantùm autem varia sunt patriæ potestatis singularia beneficia, sed & onera, neque enim privilegiis commoda semper tribuuntur, sed & onera pœnæque adeo ipsæ imponuntur singulariter §. 7. *in fine F. de F. N.* quòd filio familias navem exercente voluntate patris, non ipse modo exercitor sed & pater ejus ex contractibus magistri neque peculio tenus neque in tributis saltem, sed in solidum favore navigationis teneatur *l. 1. §. 19. & 20. ff. de Ex. Act.* Vid. D. Brunnem. *ad d. l. n. 15. & 16.* quod in institoria secus est *d. §. 20.* Idemque est si cum ipso filio familias exercitore contractum fuerit *d. l. 1. §. 23.* Quin si servus filii familias exercent navem ex facto servi uterque & pater & filius eo casu in solidum obligatur *d. l. 1. §. 22.* Cæterum quomodo pater quoque ex facto filii sui teneatur de peculio in tributum, de in rem verso &c. Amplissimus esset hîc agendi campus, sed brevitatis studio me remitto ad D. Brunnem ad varias leges *ff. de in rem verso* D. Struv. *Ex. 20 th. 74.* Boekel. *in Comment. ad ff. d. l. §. 5.* & passim DD.

§. 7. Neque in arrestorum materia defunt quæ patriæ potestati vel læta vel gravia videri possunt. Et occurrit imprimis casus in quo pragmatici haud leviter disceptant; scilicet si pater filio sit obligatus, an hic in ejus bona arrestum impetrare possit? Berlich. *Concl. 47. par. 1. n. 10.* privilegium id plane negat per *not. text. in l. si quis 8. §. f. C. de Sec. Nupt.* in versu. Ita tamen ut occasione & *l. cum oportet 6. §. 2. C. de Bon. qua lib.* ubi in singulari patris privilegium verb. *Non autem hypothecam filii familias adversus res patris viventis adhuc seu jam mortui, sperare audeant, nec ratiocinia super administratione inferre.* Item *Gubernatio rerum sit penitus impunita.* & sic per totum elegantis expressionis genere privilegium patris traditur, addita etiam comminatione hac *vel si hoc fecerint patria potestas in eos exercenda est;* quid autem hæc inferat, & quousque jure Romano extensa fuerit in principio jam tetigi. Ex his autem concludo, si liberi prohibentur inquirere parentum administrationem, eamque nequeunt perscrutari, multo minus arresta imponere posse, absurdum enim esse  
filium



filium velle inquirere in administrationem Patris dicit Card. Thuf. *Conf.* 125. n. 34. *lit. p.* Et hoc ita in bonis adventitiis, in quibus dominium habent, non possunt, multo magis prohibentur in reliquis, in quibus nullum dominium habent, sed nudam tantum administrationem.

§. 8. Nec obscurum id videbitur, si perpendas quod sine diligenti inquisitione & scrutamine rationum an solvendo sit an non ad arresta procedi vel perveniri non permittant jura, de quo eleganter Gailius *lib. 2. obs. 44. n. 5. seqq.* Idem *de Arrest. Imper. cap. 1. n. 11. & seqq. & cap. 11. n. 30.* quoniam autem liberis hoc denegatur per præcedentia, sequitur, nec ad arrestum perveniri posse, cum negatis mediis negetur & finis, plura in eam rem allegat Berlich. *d. l. ad quem me remitto.* Hoc autem hic addo, quod de arresto non unus notat, scilicet exinde lædi existimationem inter honestos viros, bonam famam minui, & ignominiam indelebilem inde oriri Vid. Coler. *de Processu Execut. parte 2. C. 3. n. 154.* & Gailius *de Arrest. cap. 1. n. 12. verb. Nam licet arresta parvi sint præjudicii.* Si autem filius nullo modo famam patris lædere potest vel imminuere *l. non debet dari 11. de Dolo Malo* sequitur quod nec arrestum impetrare. Et hoc quidem privilegium Berlichii, cum latè pro Patre defendisset etiam Domino feudi concedit idque deducit *d. l. n. 16.* quod tamen non tango, quia alterius loci est. Contrariam vero sententiam propugnant alii, quo in dubio hæsitantem, atque à Berlichio deflectere renuentem in sua castra me pertraxit Carpzovius Florentissimus ille Practicus qui in *Processu tit. 21. §. 2. n. 7. & seqq.* id quod antea de Vasallis asseruerat, nempe, eos posse arrestare bona Dominorum, ad liberos quoque extendit, eosque, si parentum suorum bona arrestare velint, omninò admittendos statuit, ac etiam respondet ad argumenta contraria, imprimis de honore parentis, & infamia, quæ ex arresto metuenda. Quæ omnia hîc excerptare nolo, sed id solum addere, quod illi, qui jure suo utitur, haud injuriam fecisse intelligatur *l. 155. de R. J. Conf. Carp. p. 1. Const. 29. Def. 28.* ubi latius hoc prosequitur; & in fine ita decisum refert. Accedit pro hac sententia generalitas juris arrestorum quam adfert Joh. Menoch. *in processu p. 20. C. 41. n. 12.* quod omnibus creditoribus liceat arresta imponere à quo patrem non eximimus hoc casu per dicta *Conf. Anton. Faber. in C. lib. 3. tit. 17. Def. 2. n. 4.* ubi & illud explicat, quod utens jure suo nemini inferat injuriam, Vid. *l. 41. de A. E.*

§. 9. Ad inventarii confectionem omnes teneri, qui obligati sunt ad rei alicujus extraditionem vult Rauchb. *p. 1. quest. 30. n. 30. Vasq. de Succes. & ultima.*



*ultim. volunt lib. 1. §. 6. n. 45.* quomodo enim in restitutione demonstra-  
 tio facienda sine confectione inventarii, ita quærit non abs re Carp. *p. 11.*  
*Const. 42. Def. 8. n. 3.* Incongruum certè videri posset, quòd hîc hac de  
 re tractem, ubi de patribus concessis privilegiis agendum mihi est, in-  
 ventarii autem confectio sit generale officium, quod à nemine videtur omit-  
 tendum, quia insignes favorabilesque effectus habet quod hujus loci non  
 est enarrare. E contrario autem quid damni inferat ejus intermissio,  
 quod & ipsum alienum à meo proposito est, viderique potest hac de re  
*l. ult. §. 4. & 5. C. de jure Delib. Aut. Sed cum test. C. ad leg. Falcid. Conf.*  
*Ant. Faber in C. lib. 4. tit. 23. Def. 9. n. 8.* & DD. passim. De tutore etiam  
 indubitati est juris, quòd ille super bonis pupilli inventarium censuræ te-  
 neatur, adeo, ut priusquam hoc fecerit non admittatur ad rerum admini-  
 strationem, quod decantatum juris est principium in *l. Tutor qui reperto-*  
*rium. 7. de Ad. tutor.* Sine eo enim aut planè non, aut difficilius ad rationes  
 reddendas adstringi poterit conf. Heigius *p. 1. quest. 20. n. 8.* Bart. in *l. 72.*  
*§. 2. de Cond. & Demonstr. n. 2. verb. quia inventarium est caput.* Hinc de  
 Patre, ut ad scopum perveniam, hîc occurrit quæstio. An ille filiorum  
 bona administrans ad confectionem inventarii teneatur? Et non vereor  
 hic dicere contra Speculat. *Tit. de Inst. Eden. §. ult. verb. Quid de Patre sin-*  
*gulariter pro eo introductum esse,* ne teneatur ad onerosum conficiendi in-  
 ventarii munus, sed descriptionem fieri aliqualem sufficere probat Card.  
 Thus. *Conf. 125. lit. P. n. 31.* Idem *Concl. 202. n. 8. lit. A.* quod ipsum in  
 Camera Imperii receptum annoque 1548. d. 13. Decemb. ita judicatum  
 fuisse additis rationibus clarè demonstrat Joach. Mynsing. *Cent. 2. obs. 93.*  
 quod ita singulare Patri est, ut ne ad matrem quidem licita sit extensio vid.  
 Card. Thus. *Tomo 8. Concl. 443. n. 40. & sq.* Et sic dicere ausim cum Carp.  
*P. 2. Const. 11. Def. 5. n. 6.* Matrem utique teneri ad reddendas rationes  
 mediante inventario. Nec vereor objectionem Berlichii qui contrarium  
 statuit *p. 2. Concl. 12. n. 14.* quia Carp. *d. l. & Constit. 10. Def. 13.* ea refellit  
 ad quem me spacii causa remitto. Quod autem de Paterno hoc in casu pri-  
 vilegio asserui, hoc hanc admittit limitationem, nisi ille sit dilapidator vel  
 perversæ conversationis, tunc enim eum cogi etiam ad confectionem in-  
 ventarii posse cum Speculat. alleg. loco assero; quo casu cautela quoque  
 est observanda, ut per Notarium in præsentia patris & filii fiat bonorum  
 descriptio, & hoc pro illorum conservatione juxta *l. 1. §. Si servus de Ven.*  
*in poss. mittendo.* Nam per hujusmodi descriptionem præcluditur patri via  
 dilapidandi, filioque quam optimè prospicitur. Superessent plura privi-  
 legia



legia, quæ Patri competunt tanquam legitimo administratori, sed me hac in re remitto ad Card. Thuf. *Conf.* 125. & 127. Ita an possit transigere super re dubia Alex. *Consilio* 171. incipit *Viso processu*. An revocare confessionem filii tractat Paul de Castro *Conf.* 472. n. 5. *Verb. Præterea*.

§. 10. Circa bona Pater multa habet privilegia, sed cum sua bona ad neminem magis quàm ad suam prolem posteritatemque pervenire velle præsumatur *l. 7. pr. de Bon. dam. l. 15. pr. de In off. test. l. 13. §. 1. de Legit. Her.*, & quoniam juri naturæ conveniens est ut parentum bona ad filios perveniant *l. 7. in fine Unde lib.* sicque ad alios ea velle translata haud credendum *l. 9. de Senat.* hinc in eo aliquid privilegii est, nempe quòd ei fas sit bona sua inter liberos etiam inæqualiter dividere *l. f. C. fam. hereis l. 21. §. 1. C. de Testam.* *Conf. Colerus P. 1. decis. 54. n. 26.* Idque jure Saxonico expressa constitutione sancitum refert Carp. *p. 2. const. 13. Definit. 37. n. 4.* Multo ergo magis uni filiorum donare pater sumtus aliquos potest, alteri imputare Gail. *lib. 2. obs 116.* cum dispositio etiam hæc accuratè à filio observanda eatenus ut impugnari nequeat etiam si uni totum alteri pars impensarum sit donata vel remissa, quia vim prælegati habet *l. Ex facto proponebatur 35. de H. Inst. l. Qui filiabus 17. §. f. & l. 18. de leg. 1.* Atque hanc donationem filius acceptare vel retinere potius reliquamque hereditatem repudiare liberè potest. Porro non possumus non hoc extendere ad casus, ubi statuto uni filiorum aliquod jus competit, quòd hoc pater ei auferre alteri verò concedere possit: pone filio natu majori competere ex statuto jus divisionis bonorum, juniori jus electionis uti Jure Saxonico *art. 29. lib. 3. Landrecht* quod major dividat minor eligat, quo autem jure non utuntur, si pater hoc ademerit quod habetur *Const. Sax. 15. in fine Verb. Oder aber es hatte ein Vatter im testament den jüngsten Sohn die Aulse genommen.* Idem quoque adserendum in casu ubi statutis minimo natu ædes paternæ vel avitæ conceduntur, quod consuetudinarium jus tamen per dispositionem contrariam in alium filium transferre haud prohibetur pater vid. Modestin. *Pistor. p. 1. quest. 16. Colerus p. 1. Decis. 54. n. 52.* Et hoc ex generali paterni privilegii ratione, quia liberi contravenire non possunt ei dispositioni, sed quod ad eam firmiter obstringantur *l. 21. & Ant. sq. C. de Testam. vid. Carph. P. 3. Const. 15. D f. 31.*

§. 11. Denique uti regulariter contractus parentum in præjudicium filiorum initi ab his non possunt improbari. Ita consequens est, ut ne illi hos defraudent portione legitima, nam eousque privilegium hoc sese non extendit, nullaque translatione, sive in unum liberorum facta sit, sive  
in



in extraneum valet diminutio huius portionis. vid. Perez. ad C. de in off. testam. n. 36. Clarus Sentent. lib. 4. §. Donatio quest. 24. n. 5. Faber in Cod. lib. 3. tit. 21. Definit. 4. n. 2. Unde donatione in ejus fraudem facta liberis conceditur querela in officiosa donationis ad revocandam eam pro parte qua nimia est aut in officiosa. Aut. unde si parens C. de inoff. test. Et hinc notandum, quod filii ratione legitima possint impugnare contractum quoque patris, quod alias nullo modo concedendum Gail. lib. 2. obs. 116. n. 4. sed liberi hoc casu fraudem legitimæ probare debent, quod non ita difficile esse putat Carp. p. 2. const. 12. Def. 36. n. 9. In quo respicitur ad tempus, quo actum exercuit Pater, ex quo læsio legitimæ orta est, & quanta tunc fuerunt ejus bona, non autem quanta sunt tempore mortis Pet. Heigius p. 1. quest. 25. n. 72. Mascard. de Prob. Con. 415. Sed singularis illa quæstio videtur. An Pater omnia sua vendendo, cum pacto ut post mortem tradantur, liberos legitimâ privare possit? Et posse probat Gailius d. l. n. 5. modo probetur pecuniam revera patri numeratam fuisse, et si consumpta sit; idque hac ex ratione quia legitima non est, nisi deducto prius ære alieno l. 8. §. 4. de inoff. test. Hoc autem casu illud exsolvi nequit, nisi traditione omnium bonorum; & sic dicendum erit legitimam hereditatem debitam exhaustam amplius non deberi. Patrem posse bona sua vendere & pecuniam in mare projicere non obstante filiorum præjudicio allegat Menoch. lib. 4. Præsumpt. 83. n. 7. quoniam legi non facit fraudem Francis de Retio Conf. 47. incipit *Viso & diligenter* n. 4. fol. 39. Alexander Conf. 45. in fine fere Vol. 1. incipit. *Habita super his* suppeditat casum, ubi pater possit auferre eam portionem liberis, si confiteatur se debere pro servitiis receptis vel ob aliam causam, qui tamen pergit quod confessio patris se casse debitorem non præjudicet liberis quo ad legitimam, cum exinde orientur magnæ confusiones & via aperiatur fraudibus d. l. Consil. 26. vol. 2. incipit *Viso & considerato*, extenditque hoc eatenus ut confessio non sufficiat neque valeat ut in testamento facta sit Consil. 18. vol. 4. incipit. *Non minuitur*. Quid autem, si valida probatio adsit, etiam possit auferri legitima à patre multis ostendit D. Alexan. Conf. 75. vol. 1. n. 11. Et hætenus conveniunt illi qui sustinent statutis locorum posse id fieri, imprimis si legitima legitimam auferendi adsit causa in statutis expressa, v. g. Si filii soli exclusi filiabus debeant habere hereditatem patriam, ut familia sit eo splendidior, nomenque ejus latius elucefcet, vel ne ad alias familias bona transferantur quod videre luctuosum putatur Vid. Mynsing. Cent. 5. obs. 43. n. 1. ibique allegati quibus addatur Cæphal. Consil. 278. n. 48. vol. 2. incipit



incipit discessit & Panormitanus Consil. 75. n. 9. vol. I. incipit primo est videndum fol. 37.

§. 12. Quod filius vivente patre nullum jus in bona habeat, jam ex præcedentibus notum est, sed quod Patri hoc omne soli competat l. 1. §. 21. de Collat, sequeretur enim, quòd duo essent domini unius rei in solidum contra principia juris l. 5. Commod. Et sic quod in l. 11. in fine de lib. & posth. dicitur nequaquam mihi ob stare puto, quia ibi solùm traditur quodammodo filium esse paternorum bonorum dominum vivente patre, quòd intelligitur fictio quædam juris non veritas, & dominium in spe potius quam in re; quod de jure civili ita verum est, ut licet in monasterium abeat pater, tamen maneat penes ipsum Dominium rerum & bonorum. *Aut: si qua mulier ubi glossa in verb Moriatur*, sed hoc jure Canonico secus est, quod cum rationibus latè exponit Rittersh. in Diff. J. Civil. & Canon lib. 4. cap. 8. Nequaquam otiosam esse hanc quæstionem aut sine effectu investigationem cum Mynsing. Cent. 4. obs. 15. n. 6. advertere licebit. Nam si filium habere jus in bona patris asseramus, magnum inde patri incommodum oriretur & non posset disponere is de suis l. si fundum C. de Reb. alien. non alienand. Nostro autem jure nullibi id beneficium commune patri ablatum est, quòd possit de rebus tanquam moderator & arbiter disponere l. in re mandata C. Mandati, l. Dubium C. de Cont. Empt. Et hoc eatenus ut nec teneatur Pater in distributione ad filios suos respicere, per ea quæ habuimus, modo eis legitima salva sit l. f. si quid in fraud. Pat. Conf. Carpz. p. 2. const. 12. Def. 36. ibique allegati. Quomodo autem hæc portio computetur & reliqua quæ hac de re adferri possent hic non addo, quoniam satis nota, lateque à DD. tractata Struv. Ex. 10. ib. 33. & seqq. ibique magno numero allegati. Qua occasione an studiorum sumtus in legitimam computentur quæri solet, & dico breviter quod non præcipuè si non excedant nimium, nam tunc non ad studia, sed extra ea impensi videri possunt, ad veros studiorum sumtus autem non minus quàm ad alimenta cætera patrem teneri constat Hahn. ad Wesf. tit. de alim. legat. n. 1. l. qui filium 4. ubi pupil. Educari verb. Ut liberalibus artibus instruat. l. 6. §. 5. de Carb. Edict. verb. Sed in studia ibique Gothof. lit. O. Et nil impedit quia ex pietate pater hos sumtus magis dare præsumitur quam animo imputandi Zæsius Tit. de inoff. test. n. 105. Ratio est manifesta quia non ad esse solùm, sed & ad bene esse naturali jure pater obligatur, nam sine eo non licet in Civili societate bene vivere vid. l. 15. Fam. her. & elegans dictum Friderici Imperat. in aut: habita C. ne filius pro Patre, hinc hi sumtus non levius merebuntur privilegium, si non tale, uti ipsa res publica



D. Stryk. *in tract. de succes al. intest. Dis. 11. cap. 3. §. 8.* & Zæsius *ad ff. de Collat. n. 33.* Moderamina autem hæc admittunt de quibus vid. D. Brun. *ad d. l. 50.* D. Stryk. *d. l. n. 11.* Perez. *ad C. de N. G. n. 12.* Ita si pater administret bona filii, & impensas fecerit, hoc modo repetendas tradit D. Stryk. *in Caut. Contr. sect. 3. cap. 1. §. 7. in fine & n. 9.* Rationem allegat Richer. *vol. 1. Conf. 5. n. 7.* Joh. à Sande *tit. 8. def. 3.*, cum, si propria habeant liberi bona, cesset indigentia & necessitas D. Brun. *ad l. 1. C. de N. G. n. 7.* ejusque elegans dictum *ad l. 50. Fam. Hercif. n. 5.*

§. 13. Insigne etiam & singularissimum patri competit privilegium, quod nulli alii pagano concessum, quod nempe filio suo possit testamentum ac heredem per substitutionem pupillarem facere vid. Udal. Zasius *in substit. tract. p. 230. lit. D.* quod tale ac tantum est, ut in hoc testamento filii pater plus possit, quàm vel filius, si pubes esset, posset, vel ipse pater etiam in suo testamento potest, scilicet quod ipsam pupilli matrem per eam substitutionem ab hereditate filii excludere possit *l. 8. §. 5. de inoff. test.* quod nec ipse filius potuisset, si testamenti habuisset factionem, quemadmodum & proprium suum fratrem præterire infami herede scripto potest *d. l. 8. §. 5.* quod in suo non posset *l. 37. C. eod.* Qua autem ratione & avum proavumque maternos, excludere possit vid. Zasius *d. l. p. l. 34. lit. E. & F.* rationem vide in *d. l. 8. §. 5. & cap. 1. de test. in 6.* ubi dicitur, licet filius matrem privare legitima non possit, pater tamen pro filio impubere id potest Perez. *ad C. d. t. n. 29.* Zæsius *ad ff. d. t. n. 49. & seqq.* Hanc autem legitimam ex æquitate competere matri mavult D. Brunnem *ad d. l. 8. n. 10.* Moribus etiam Saxonix hæc salva esse debet notante Carp. *p. 3. conf. 8. def. 3.* Et hanc sententiam sequuntur Richter, Bocerus, Pruekman alique allegati à D. Brunnem *d. l. n. 10.* Sed eos bene refutat & communem sententiam defendit Vinnius *ad pr. de Vulg. subst. n. 11.* Fachin. *lib. 4. Cent. 42.* uti & refutat Menochium qui *lib. 4. Præsumt. 38.* existimat excludi quidem matrem à legitima, quoad patrem ejusque bona, non verò quoad filii. Tale quoque accidit in specie, qua quæritur an Pater possit gravare substitutum pupilli, vel successorem ejus ab intestato. Nam quòd pater eum gravare possit etiam in legitima docet Gomez. *Var. Resolut. tom. 1. Cap. 4. n. 12.*, indeque notabiliter inferri ait, quòd licet ipse filius pubes vel impubes gravari in legitima non possit *l. 32. C. de inoff. test.* tamen substitutus pupilli possit, idque non modo in legitima ipsa, sed & quod magis sit, in bonis propriis ipsius filii impuberis, quæ aliunde habet. Eodemque modo etiam successorem filii ab intestato à patre onerari posse, ut nec retineat legitimam quæ filii est, Potest ergo pater iterum



iterum in pupillari testamento aliquid facere quod in suo non poterat Gomez *d. l.* Denique singulari privilegio non solum liberis institutis, sed & exheredatis substituit? §. 4. *F. & Wissemb. ad ff. Disp. 56. th. 29.* Lauterb. *ad tit. de Vulg. & pupil. subst. p. m. 793.* Vinnius *ad d. §. 4: late.* Quid statuendum si filio furioso vel mente capto substituatur tam à patre quàm à matre quis debeat præferri tradit Gomez *tom. 1. Cap. 6. §. 13. p. 86.* ubi & explicat ex *l. Quærens C. de Bon. qua lib.* quid dicendum in successione, si adscendentes ex utroque latere veniant ad successionem nepotis.

§. 14. Non minoris momenti privilegium est, quod pater tutores filii suis dare possit in testamento Conf. Schrader *de Feud. p. 10. Sect. 19. n. 2,* qui suscipere necessario debent delatam tutelam, & si nolint, relicta sibi in testamento perdunt, de quo Mynsing *Cent. 6. obs. 87.* iudex etiam in confirmatione patris sententiam sequi debet, omnibusque aliis eum præferre, sine satisfactione etiam; imò legitima tutela debet cessare & postponi quamdiu testamentaria speratur *l. 11. de test. tut. D. Brunnem in Reperit. Parat. Wesemb. d. t. quest. 1.* Nihil etiam refert alienæ jurisdictioni sit subjectus datus ille tutor *l. 32. d. t.* ubi tamen notamus, quòd non compellatur vi jurisdictionis, sed vi juris communis quòd patri testatori hanc potestatem indulgit Gothof. *ad d. l. lit. S.;* Servus denique dari potest, sed, si proprius ille sit, libertatem consequitur ut ut adscripta non sit, si alienus sub ea conditione si liber erit Zoësius *ad ff. d: t: n: 6: & sq: Carpz: p: 2: defin 120:* Porro licet defectus sit in dato, tamen est admittendus propter ejus iudicium qui dedit, & nequidem in ejus mores inquirendum, sed indistincte confirmandus sine satisfactione etiam *l. Qui à patre 3: de Conf: tut:* idque tum favore ultimæ voluntatis tum quia Pater optimum pro liberis consilium videtur elegisse *l. 11: de Test: tut,* multumque hoc casu prudentiæ paternæ tribuitur *l. ult. C. de Cur furiosi.* Ex parte matris autem hoc non ita privilegiatum est vid Ludwel. *ad f. Disp. 3. th. 2. lit. C.* Giphanius *Antin. jur. Civilis Dis. 5. n. 15.* Pater verò & exheredato filio tutorem rectè dat, quia non propter bona solum, sed & ex potestate paterna hoc facit, cum aliunde filius habere bona possit, quæ tutoris administrationi committenda D. Struvius *Ex. 31. th. 8.* per textum expressum in *l. 4. de test. tut.* Conf. latè Hunnius *Var. Resolut. lib. 1. tract. 4. quest. 4.* & Bach. *ad Treut. Vol. 2. disp. 8. th. 2. lit. B.* Etiam respectu feudi Schrad. *de feudis p. 10. sect. 19. n. 58.* Conf. Hillig. in Donel. *lib. 3. Cap. 5. lit. a* Hahn *ad Wesemb. de Test. tut.* ubi in ardua quadam causa ita decisum refert Brunn. *ad l. 3. d. t. n. 2.* Tandem Pater in testamento potest filio minori potestatem dare alienandi bona immobilia sine decreto *l.*



1. *de reb. cor qui l. Magis puto 5. §. si fundus eod. vid. omnino l. Sancimus 7. C. de Reb. alien. ex qua Gometz Var. Resol. tom. 2. cap. 14 §. 16. multa colligit, quæ hîc conferenda.*

§. 15. Olim in exheredando filio majus competiit privilegium patri majorque libertas quàm hodiè, cum Justinianus antiquam exheredandi facilitatem sustulit, & non amplius indistinctè liberos exheredari permittit vid. Man. *de conject. ultim. volunt lib. 4. tit. 1.* Sed hoc remansit quòd pater filium suum ex quibusdam causis exheredem scribere possit, quæ versiculis includi solent quos videsis apud D. Brunn *ad Aut. Non licet C. de lib. præ. Rebhan Hodeg. juris char. 3. clim. 2. §. 29. Bockel. in Compend. Instit. p. 112. & alios.* Et quidem hic facilius filios exheredare potest quam hi patrem, cùm facilius in genitorem delinquitur vid. Sutholt *dis 9. §. 58.* Sed non alio tamen jure hoc patri conceditur, quàm quo & occidere poterit filium. *l. 11. de lib. & posth. ut eo magis concludendum sit causas illas quæ in N. 115. cap. 3. allegantur esse strictissimæ interpretationis, nec ad alias similes pertinere in casu quo contra naturæ instinctum filii à debito naturæ excludantur, quo posito non cessaret illa incertitudo causarum Pristina, quam aded cavere voluit Imperator certasque proponere causas, quæ regulæ instar esse deberent; vid. Perez. ad C. de lib. & posthum. n. 19.* Et confunderetur id, quod in legibus *nominatim* (qua voce Imperator in d. Nov. cap. 3. utitur) cautum est, & quod ex lege per rationis similitudinem infertur, quæ contraria sunt, & semper invicem opponuntur. Moti DD. in aliam sententiam imprimis eo videntur, quòd non satis distinxerint inter causas quæ similes sunt iis, quæ ibi recensentur, & nullo modo dici possunt *nominatim* ibi comprehensi, quia ex rationis similitudine non ex verbis colliguntur, & eas causas, quæ reipsa & effectu juris eadem sunt; uti, cùm filius non per se sed per alium injuriam fecit, eam enim ipse fecisse videtur *l. 1. pr. quod jussu.* Et has causas omnino contineri concedimus, hic enim nulla est extensio, quia effectu juris pro eisdem habentur Zoësius *ad ff. de lib. & posthum. n. 14. Conf. Hunnius Var. Resol. lib. 2. tract. 5. quest. 14.* Hac ergo distinctione non satis perpensa, uti & quod in d. N. 115. tantum de injuria privata in testatorem, non verò de criminibus publicis agatur, non mirum, quòd Vinnius *ad pr. ff. de inoff. testam. n. 2.* sibi persuadere nequit, hanc fuisse Imperatoris mentem, cum quo sentit D. Struvius *Ex 32. th. 33. Hahn. ad Wesemb. de inoff. test. n. 5. verb. sed an præter illas Lauterb. p. m. 171. Felinus Repert. jur. Voce Pater & lit. C. Voce causa idem ad Capit. Pastoral. de Rescript. n. 2. fol. 97. Berlichius p. 1. decis. 36. allegat præjudicium ubi exheredatio facta est, quia fidejubere filius recusaverat.*

T A N T U M.